

1579

C O D I C E S

1580

*Viennensi a Leonbardo Ep. Pataviensi 20. ejusd. mens. 1451.*

DCLXXII.

R. 1998 Codex partim membraneus, partim chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 137. f. rubricis distinctus et olim *Fratrum Cartusiensium prope pragam* continet *Bonum universale de Apibus*; ita enim *Thomas de Cantimprato*, vulgo *Cantipratanus* O. P. binos Libros *fusos de Praelatis et de Subditis* dici voluit teste Praefatione ad *Humbertum* generalem Ministrum Ordinis. Extat Opus piis narratiunculis scatens saepius impressum, et a me jam relatum *Vol. I. P. 2. col. 1340.* ubi tamen *Librum II.* deesse dixi. Hic vero integrum est, sed contra Autoris mentem *Liber II.* divisus in duos ita, ut *fol. 53.* incipiat *Tertius* a *Cap. videlicet: Videas de claustris alias esse sollicitas &c.* quod in Codice est *LIII.* in Editione vero *Parisiensi f. a. f.* curata a *Bonaspenteano XXVII.* cujus diversitatis ratio est, quod in Codice *Liber II.* non ordiatur a novo Capitum numero, sed numeri *Libri I.* ulterius continentur. Ad calcem nobis: *Explicit liber bonus de Apibus,* et Index alphabeticus Rerum.

*Galienus. Omnibus assuetam iubeo servare dietam.*

*Ypocras. Approbo sic esse, nisi sit mutare necesse.*

Ad c. 8. quatuor Temperamenta:

*Sanguineum. Cantans carnosus satis audax atque benignus*

*Largus amans bilaris ridens rubeique coloris.*

Chole-

Praetenta est Codici Membrana partem Catalogi vetustae cujusdam Bibliothecae monasticae exhibens, e qua fortasse tolli vellet *Summa palladij rutili tauri emiliani in opus agriculture*, et *Summa que dicitur flores distaminum magistri petri de vineis.*

DCLXXIII.

Codex membraneus lat. Sec. R. 912 XIV. Folior. nunc 256. f. maj. per duas columnas luculente beneque perscriptus, coloribus illustratus et olim Collegij S. J. *Vienne* complectitur *Bartholomaei de Glanvilla*, dicti *Anglici* O. M. qui vivendo hujus Codicis aetatem adtingere potuit, *Libros XIX. de Proprietatibus Rerum* saepius prelo proditos, saepius a me relatos, ita tamen, ut *Liber I.* et *II.* exciderint, et a *III.* ita ducatur initium: *Adiuuante ihesu christo in precedentibus aliquas proprietates de substantia penitus incorporea &c.* A *Libro IV.* incipiunt pullulare Summaria in marginibus, eaque a prima manu, Versus item ad materiam, quae in Textu tractatur, adpositi, quorum aliquos delibabo. Ad *L. IV. c. 4.*